



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 86. Bonnivetus a Rege in Francia permanente, in Italiam missus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

Sæcul. XVI.
A.C. 1523.

hi nunciatum erat, Connestabilem cum solo Pomperano adventasse, ejusque e Gallis discessum nullos fuscitasse tumultus, Rurenfi Comiti secreta dedisse mandata, ut Connestabili omnino persuaderet, ne de Mediolanensi ditione excederet; verebatur enim Cæsar, ne in Hispaniam delatus nuptias cum Eleonora sibi promissas adimpleri urgeret, quas tamen Cæsar ratas habere noluit, nisi cuncta prius spolia, quæ ex Connestabilis defectione speraverat, accepisset. Ceterum Borbonius in Italia permanere maluit, scripsitque Cæsari, quod abs dubio in Italia magis quam alibi Imperatori utilis foret. Paulo post Vindascam petiit, ubi Cæsaris exercitus tertio a Mediolanensi urbe lapide castra metatus est, in quo jam tum secundum imperii locum in Italia tenebat, ac brevi supremus illius Dux a Carolo V. nominatus est.

§. LXXXVI.

Bonnivetus, a Rege in Francia permanente, in Italiam missus.

Tandem ex Connestabilis fuga Galliarum Rex haud obscure cognovit, ingentem in Regno suo conflare seditionem, illamque in apertas erupturam flammæ, quamprimum e regno suo

Mem. du Bellai l. 2.

Y 2

absens

Sæcul. XVI
A.C. 1523.

absens esset, quapropter mutato in Italiam eundi proposito, Bonnavetum Admiralem cum exercitu suo illuc mittere constituit. Ergo Bonnavetus sub finem Mensis Augusti, seu forte ineunte Mense Septembri Alpes transcendit, Rege interea ad regnum suum redeunte, ut subortos ibidem tumultus dissiparet: Ne vero a factiosis inopino impetu obrueretur, e re fore censebat, illas revocare centurias antea conscriptas ab ejusmodi Viris, quos utpote Connestabili vel sanguine, vel amicitia junctos facile conspirationis socios fore timebat; ut autem ejusmodi mandatum aliis nullatenus sinistram ingereret suspicionem, has copias pro Regni præsidio a se speciatim selectas obtendebat. Insuper a se dimittere volebat Cataphractos, quos Alenconii Dux, Chabannius Marescallus, Comes S. Pauli, & Sabaudiaë Notus conduxerant, ut Vindocinensis Comitibus, Montpenserii & Lotharingiaë Ducibus copias in officio confineret, atque in eas, si forte seditionem molirentur, irruere posset: verum superflue erant hæ cautelæ; nullus enim ex hisce Principibus in Regis fide titubabat, siue quod Connestabilis facinus detestarentur, siue eum sequi nimis periculosum esset.

§. LXXXVII.